



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 227. Diidentes vero vestimenta eius. v. 34.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

*Ve ferias. stipes quilibet aptus erit. Ita, vt pie excuses facile, si velis, prætextum reperies, amor enim aperit, odium aperit mala.*

**Q**uanta est in Christo caritas! quid non ex eo cogitauit? non attendebat ille, quod Iudæi toties audiissent & vidissent oculis se esse filium Dei: sed quod ad crimen augendum accusator adduxisset, id ad imminuendum Christus adduxit, imitare hoc, qui cupis esse beatus, cum Christo. *Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

§ 217. *Diuidentes vero vestimenta eius, v. 34.*

Ante faciem Crucifixi Iesu, in conspectu piæ matris, quæ libenter magno ea emisset, diuidunt vestimenta Iesu Carnifices quæ pia mater forte fecerat ipsa & ei aptauerat, quæque sanguine ipsius Domini hinc inde, vt gemmis erant quasi interlinctæ Creuit etiam ex ista parte afflictio Christi, quod in manus talium hominum sanctissima illa ornamenta deuenirent, non honesta largitione, sed forte ac fortasse primo disceptarunt de partitione, demum cum partes æquabiles ex toto apparatu fieri non possent, & ad contentionem vergeret disceptatio, sortes adhiberi visum fuit,

**E**cce anima mea quam sollicitè crucifixores tractant de vestimento crucifixi, ille etiam meliora multo parauerat eis, corpus nimirum suum dare in Sacramento gratiam in spiritu, &c hæc non attenduntur, vti pannorum assumente quaruntur. Sic fiet etiam cum tuis rebus, quando morieris hæredes tui valde anxij erunt de pannis & supelletilibus & nummis, de alijs nihil. Vix oculos claudes in morte, cum ad clauces, & cistas peruolabunt &c.

§. 228. *Miserunt sortes. v. 34.*

Quanam illa pauperis Christi fuerint vestimenta, tot numero, & pretio tanto, vt & ea amauerint milites, & super amatis artes potuerint iacere, ad S. Marcum dixi fuisse nimirum Albam donatam ab Heroode, purpuream, chlamydem à Pilati domo, & talia præter pallium & tunicam & sudariolum seu mappam & similia necessaria, quæ ipsemet ex horto ad domos Iudicum suorum attulerat, neque enim sordidam pauperatam Christus coluit, sed honestam aptam fini suo, gloriæ Dei, zelo animatum, exemplo futuri sæculi. Adde, non carere mysterio, quod vt Caiphas sua dirupit vestimenta, tunica vero Christi seruata fuerit integra: iste enim fuit Iudæorum Pontifex, cuius sacerdotium protinus erat scindendum, & in